Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Hoc enim tempore quod differtur potentia populi dei non repellet dominus plebem suam et he-
reditatem suam non derelinquet quantalibet acerba et indigna ipsa humilis atque
infirma patiatur quoadusque quam nunc habet infirmitatis pietas convertatur in iudicium
hoc est iudicandi accipiat potestatem. Quod iustis in fine servatur cum praecedentem
iusticiam ordine suo fuerit potentia subsecuta. Potentia quippe adiun-
cta iusticiae vel iusticia accedente potentiae iudiciariam potestatem facit.
Pertinet autem iusticia ad voluntatem bonam unde dictum est ab angelis nato
Nota de iusticia et potentia. Christo. Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Potentia
vero sequi debet iusticiam non praeire. Ideo et in rebus secundis ponitur id est prosperis.
Secundae autem a sequendo sunt dictae. Cum enim beatum faciant sicut superius disputavimus
duae res. bene velle et posse quod velis. non debet esse illa perversitas quae in eadem
disputatione notata est. ut ex duabus rebus quae faciunt beatum posse quod
velit homo eligat et velle quod oportet negligat. cum prius debeat habere vo-
luntatem bonam magnam vero postea potestatem. Bona porro voluntas pur-
ganda est a vitiis. a quibus si vincitur homo. ad hoc vincitur ut male velit.
et bona iam voluntas eius quomodo erit. Optandum est itaque ut potestas nunc
detur. sed contra vitia propter quae vincenda potentes esse nolunt homines. et
uolunt propter uincendos homines. Ut quid hoc nisi ut vere victi falso vincant. nec sint veritate sed opinione
victores. Velit homo prudens esse velit fortis velit temperans velit iustus.
atque ut haec veraciter possit potentiam plane optet atque appetat
ut potens sit in se ipso. et miro modo adversus se ipsum pro se ipso. Cetera vero quae
bene vult et tamen non potest sicut est immortalitas et vera ac plena felicitas
desiderare non cesset et patienter expectet. De omnium debito per nichil deben-
xiiii. Quae est ergo iusticia qua victus est diabolus. Quae nisi iusticia tem Christum solvto.
Iesu Christi. Et quomodo victus est. Quia cum in eo nichil morte dignum in-
quos tenebat veniret occidit eum tamen. Et utique iustum est ut debitores liberi
dimittantur in eum credentes quem sine ullo debito occidit. Hoc est